

cat, secutum. Idem Autor pluribus in locis de sectis illis differit, instituta quoque ipsorum ac dogmata afferens, ut lib. XIII. *Antiq.* c. 9, ubi circa tempora *Jonathæ Maccabæi*, atque sic circiter 143. annos ante *Christum* natum, ut ait *Sculceus Exerc. I. 20.* ap. *Polum ad Matth. III.*, primam trium illarum sectarum mentionem facit, earumque de actionibus humanis sententias ita differre docet, ut *Pharisæi* statuunt, quasdam res fato fieri, quasdam autem in hominis libertate esse potius, *Essæi* fato omnia determinari asserant, *Saducæi* verò fatum planè rejiciant, omniaque bona atq; mala hominum prudentiæ vel imprudentiæ adscribant. Deinde ejusdem libri cap. 18, cum *Hircani Maccabæi* a *Pharisæis* ad *Saducæorum* castra transitum recenseret, mentionem facit traditionum avitarum, in lege *Mosis* non præceptorum, quas *Pharisæi* tenerrimè foverunt, *Saducæi* rejecerunt, solam legem scriptam amplectendam esse affirmantes; ubi, ut facilè apparet, lex sola recipienda statuitur in oppositione ad traditiones; non reliquos præter *Mosen* scripturæ sacræ libros, ut fallò vult *Grotius Comm. ad Matth. c. 22.* Quod autem *Saducæi* verè præter legem etiam *Prophetas* & *Hagiographa* acceperint, exinde probatur, quia illi ad objecta à *Tahnudistis* loca, ex libris illis divinis deprompta, respondere conati sunt in *Sanbedrin c. II*, neq; etiam impietatis illius accusati legantur vel à *Judæis* ipsorum adversariis vel etiam à *Christo* & *Apostolis* in *N. T.*, aut à *Josepho* in locis indubiis. Conf. *Pfeiff. in Theol. Jud. exerc. 4. assert. 4. p. 201*, ubi ad *Hackspanium* & *Spanhemium* provocat, & ex confusione *Judæorum* cum *Samaritanis* opinionem illam *Saducæis* affectam esse putat. Quod ad locum *Josephi* paulo ante citatum spectat, *Grotius* quidem meliora de *Saducæis* sperat in *Comm. ad Matth. XXII, 23.* existimans: Errare eos, qui ex *Josephi* verbis male intellectis *Saducæos* *Epiuræis* æquant, quasi *Deo* res humanas curæ esse negaverint, quia in ipsa lege *Mosis* clari sint loci de præmiis & pœnis, & quæ sunt alia. Existimat igitur, hoc esse, quod dicit *Josephus*, *Saducæos* ita in hominis potestate statuisse boni malig, electionem, ut nullam ea quidem in re censerent intervenire *Dei* actionem; ferme quomodo -- *Pelagius* inter *Christianos*. Imò mendum esse in allato *Josephi* loco asserit. Cæterum *Hostingerus*, & cum eo *Pfeifferus*,